

*Qua pater Alcidamas placidam de corpore natae
Miraturus erat nasci potuisse columbam.*

Fab. II. p. 194. Οἰνεὺς ὁ Πορθέως.) Quin vltimum nomen sit corruptum, nullus dubito. Portheus a Mythologis recensetur inter quinquaginta filios, quos ex diuersis vxoribus Lycaon genuit. Oenei patrem omnes statuunt *Parthaonem* Agenoris filium. Apollodorus lib. I. Παρθάονος δὲ καὶ Εὐρύτης Ἰπποδάμαντος ἐγένοντο παῖδες, Οἰνεὺς, Ἄγριος, Ἀλικάθοος, Μέλας Λευκωπιεύς. Hyginus Fab. CLXXII: *Oeneus Parthaonis filius, Aetoliae rex &c.* Sed mirifice in illo scriptore id nominis librarii corruerunt. Vide Fab. CLXXV. & CXXXIX. Certum est apud nostrum emendandum esse, Οἰνεὺς ὁ Παρθάονος, & multis in locis apud Hyginum.

P. 196. Ἰερὸν σὺν ἔκτειναν.) Vertit Xylander *Sacrum aprum*, reuera vocis significationem non percipiens. Quae enim in apro crescentem segetem in herba conculcante, atque in pecudes pastoresque faeuiente venerabilis est maiestas? Non incommode rescribi posset, τὸν ἄγριον σὺν ἔκτειναν, qua voce etiam hoc themate vititur *Liberalis*: αὐτὴ κατὰ μῆνιν ἐφορμᾷ σὺν ἄγριον. Verum sine necessitate & antiquorum codicum fide veterum scriptorum verba immutare & pro libitu expungere, mihi semper fuit religio. Vulgata lectio, cum sani coloris sit, non est sollicitanda, sed bene interpretanda. Quotquot inter Mythicae theologiae doctores hanc fabulam descripsere, magnitudinem & robur huius apri

O 7

com-